

dæmonibus, qui prius sub papatu ab uno dæmone possidebantur. Idem ei per litteras exprobravit in *Actibus Saxonie* dux Georgius cum ait: « Per tuam tuorumque discipulorum doctrinam omnes antiquæ jamque alias damnatæ hæreses renovantur, omnis verus Dei cultus convellitur, quantum a temporibus Sergii (impii apostatæ) nunquam factum est. Quando enim plures rebelliones contra magistratus legitimos excitatæ, quam ex tuo evangelio? Quando plures factæ sunt direptiones sacrarum ædium? Quando plura adulteria, quam ex quo tu scripsisti, si qua mulier a suo marito fecundari nequeat, ut ad alium accedat? » Sic ille. Legatur ipsemet Lutherus, in sermon. de usura, tom. VII. fat. Wittemb. ubi queritur, omnia plena esse furtis et rapinis, et nihilo secius patibula omnia vacua reperiri. Queritur de avaritia et crudelitate rusticorum, civium, nobilium, principum, putatque; omnes vere pios rusticos, qui sunt in uno ducatu vel ditione, in uno eoque non magno pago sat loci habituros; omnes pios senatores et cives unius ducatus in una non maxima civitate, omnes pios nobiles et præfectos in una non maxima arce: principes porro bonos carnem esse ferinam, hoc est, rarissimum animal in cælo. Quis hic quæso, non accinat Lutheranium illud odarium: Ad hunc fructum pertinet primo honorum operum extirpatio. Cum enim doceant bona opera omnia ex se peccata esse, nulla peccata homini ad salutem obesse posse nisi nolit credere, etc. quis ex ipsis bona opera patrare, mala fugere nitatur? Hinc apud eos rarus et exiguus orationis usus, quod ante paucos annos quidam Lutheranus testatus est, cum feria sexta majoris hebdomadæ templum catholicorum ingressus, devotione eorum spectata dixit: *Plus hic oratur in uno die, quam apud nos integro anno.* Hinc raræ et exiguæ apud eos eleemosynæ, quod vel ipse Lutherus testatur in postilla, sup. evang. de epulone et Lazaro cum ait: et in dom. XXVI. post Trinit. exagitat ad longum suorum avaritiam et duritiam erga pauperes, scholares imprimis et prædicantes, ubi inter alia ait: Sentiunt multo magis hanc eorum avaritiam nostri pauperes, qui a monasteriis per eos occupatis nihil amplius eleemosynæ capiunt.

Secundo, veteris confidentiæ et sinceritatis exilium. Nam ut bene S. Hieronymus, in c. X. Matth. ait: *Nullus est inter eos affectus fidus, quorum diversa est fides.* Nec mirum; nam quis illis fidat, qui Deo et Ecclesiæ datam fidem non servarunt? Hinc fidem in religionis negotio, seu Deo, seu homini obstrictam fallere nihili ducunt, mentiri, etiam in bonum proximi licitum existi-

mant, et docuit nuper Thummus Tubingensis doctor publico scripto.

Tertio, odium ecclesiasticorum, præsertim eorum, qui illorum libertatem (ad credendum quidquid volunt) impugnant, uti imprimis patrum societatis, quos undique traducere mendacibus et famosissimis libellis, omnibusque exosos reddere conantur.

Quarto, oppressio catholicorum in eorum ditionibus et civitatibus. Laborant enim, ut adscitis tantum suis consortibus catholici e magistratu excludantur, ac cum viribus prævalent etiam e civitatibus; vel saltem prohibent eis exercitium religionis catholice, vel compellunt eos eorumve liberos ad conciones vel catechesin hæreticorum; tametsi ipsi initio semper libertatem fidei et conscientie clamarent ac postulerent; quodque amplius est, neque suis permittunt aliter credere atque ipsi credunt.

Quinto, insidiæ et machinationes contra principes suos legitimos, a quibus nisi fidei libertatem impetrent, deficiunt et tumultuantur, leges præscribunt, easdemque exauctorare sagunt, quemadmodum nuper elapsis annis fecere Bohemi rebelles et hæretici legitimo suo regi Ferdinando, nunc imperatori piissimo, quod idem machinantur jam Lutherani et Calviniani.

Sexto, perditio denique temporalis et æterna. Quid enim imprimis perdidit reges et regnum Græcorum, nisi hæresis? Cur in feriis pentecostes capta a Turcis Constantinopolis, nisi quia Spiritum sanctum hæretice senserunt non procedere nisi a Patre tantum? Quid Joannes Fridericum Saxonie ducem ab electorali dignitate cum suis posteris dejecit, nisi hæresis, et innata rebellio contra imperatorem? Quid Fridericum Palatinum nuper pari dignitate et principatu exuit, et in exilium pepulit, nisi similis culpa?

Denique, in hujus temporis hæreses quadrat, quod S. Bern. ep. CXXI. ad Hildephonsum comitem scribit de sui temporis hæreseon fructibus: « Versatur, inquit, in terra vestra sub vestimentis ovium lupus rapax. Sed ad Domini designationem, a fructibus ejus cognoscamus illum. » Postea eos enumerans subdit: « Basilicæ sine plebibus, plebes sine sacerdotibus, sacerdotes sine debita reverentia sunt, et sine Christo; deinde Christiani, Ecclesiæ synagogæ reputantur, sanctuarium Dei sanctum esse negatur, sacramenta non sacra censentur, dies festi festivis frustrantur solemnibus, moriuntur homines in peccatis suis, rapiuntur animæ passim ad tribunal terrificum, heu! nec pœnitentia reconciliatæ, nec s. communionem munitæ, etc. »

Vidimus hæresum, maxime quæ nun-

vidimus arborum malarum pessimos fructus. Vos nunc judicate, auditores, an hæ tales arbores excidium non mereantur.

CONCIO IX.

HÆRETICI DEPINGUNTUR.

I. Veniunt.—II. Ad vos.—III. In vestimentis ovium.—IV. Intrinsicus sunt lupi rapaces.—V. Sunt spinæ, tribuli.

THEMA.

Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium. Matth. VII.

Gravissimum fuisse oportet scelus Hebræorum, quo recedentes a veri Dei cultu vitulum excitant, et pro Deo coluerunt. Hujus enim flagitii immanitas ex eo imprimis enituit, quod Moyses, vir cæteroqui mansuetissimus, ira inflammatus una cum levitis suis gladio id ulcisci usque ad internecionem viginta tres millium minime dubitaverit, Exod. XXXII. Scelus id Judæorum, hæreseos typum fuisse, nemo arbitratur, non videt. Quid enim est derelicta vera Christi Ecclesia, ejusque sacris dogmatibus, aliam sibi, eamque vitulinam, hoc est, carnem et libertati addictam erigere Ecclesiam cum aliis inauditis et stolidis dogmatibus; quam relicto vero Deo vitulum simulque miserandum schisma in electo Dei populo excitare? Quantum vero hoc scelus sit, vel ex eo nobis innotescet, quod Salvator noster, mitissimus alioquin, una cum servis suis, Ecclesiæ pastoribus et doctoribus, gladio verbi sui severe id mulctarit, dum pessimis epithetis, quasi totidem ictibus vulneravit ac notavit. Etenim ipse in hodierno evangelio hæreticos vocat: *Falsos prophetas, lupos rapaces, arbores malas, spinas, tribulos; alibi pseudochristos, fures et latrones.* Nec aliter ejus apostolus s. Petrus (II. Petr. II.) appellat eos *pseudoprophetas, magistros mendaces, servos corruptionis, indoctos et instabiles: S. Paulus pseudoapostolos, operarios subdolos, proprio judicio condemnatos, II. Cor. XI. Tim. III. Tit. III. S. Joannes antichristos et seductores, I. Joan. II. II. Joan. ep. S. Judas: Nubes sine aqua, arbores autumnales infructuosas, bis mortuas, fructus feri maris despumantes suas confusiones, sidera errantia.* Quibus accedunt ss. patres. S. Ignatius comparat eos canibus rabidis, serpentibus, basiliscis et squamosis draconibus, in ep. ad Smyrn. eos: S. Cyprian. lupis et canibus, ep. LII. S. Ambros. noctuis et vulpibus, serm. XLIII. S. Hieronym. scarabeis, in c. II. Habac. et lib. contra Luciferianos, appellat eos idololatrias iisque deteriores: S. Augustinus scimitras, I. IV. in Jul. c. IX. Vincentius Lirinensis

ranas et muscas, in commonit. Scimus etiam S. Polycarpum Marcioni hæresiarchæ respondisse: *Cognosco te primogenitum Satanæ, apud Irenæum, I. III. c. III. scimus S. Hilarium, lib. contra Auxentium scripsisse: Mihi non erit aliud quam diabolus, quia Arius est.* Videtis, auditores, quantos ictus, quanta vulnera inflixerit noster Moyses una cum levitis suis, pessimi illius vituli, hæreseos sectatoribus. Neque hoc tantum; sed præterea in hodierno evangelio, dum invehitur in hæreticos, depingit eosdem suis coloribus, quo agnoscere illos et fugere possimus. Picturam hinc aspiciat.

I. Quinam igitur sunt falsi illi prophætæ, a quibus attendendum? Primo, illi sunt, qui veniunt. Qua voce indicatur primo, eos nequam mitti legitima potestate, sed ultro venire seu illegitime; quod profecto indicium est falsorum prophetarum, ut habetur Jer. XXIII. *Non mittebam prophetas, (inquit Dominus) et ipsi currebant, non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant: et ad Hebr. V. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.* Porro tres sunt viæ seu tria foramina, quibus irrepunt pseudoprophætæ. Vel enim seipsos intrudunt, non missi a quoquam; uti Simon magus, Montanus, Manes, et nostro sæculo Calvinus, David Georgius, Jo. Leidacus et similes, qui ex suo cerebro confixerunt novum idolum, et populo proposuerunt, sine alicujus instructione aut commissione. Vel mittuntur quidem, sed ab iis, qui potestatem mittendi non habent, uti sunt magistratus sæculares. Nulla est hæc missio, quemadmodum et illa foret, qua rustici, v. g. mitterent quem Viennam, ut esset præfectus aulae imperatoris. Christus misit suos apostolos, apostoli suos discipulos, creates eos episcopos et presbyteros per impositionem manuum: uti S. Petrus Marcum Alexandriam, Apollinarem Ravennam, Crescentem Moguntiam, etc. S. Paulus Timotheum ad Ephesios, Titum ad Cretenses. Nullos reperiamus missos et ordinatos a sæculari magistratu. Vel mittuntur quidem a legitima potestate, sed alia concionantur et actitant, quam acceperint in mandatis: propria nimirum commenta, commissioni suæ contraria, eujusmodi erat Arius, Lutherus, Zwinglius, et alii, qui ordinati in Ecclesia sunt presbyteri, et creati doctores; sed non ad docendum, nisi fidem catholicam. Nota autem est regula illa generalis, facultatem, quæ alicui datur, tunc facto ipso revocari, cum quis ea adversus datorem utitur: *Quia actus non operantur ultra intentionem agentium, inquit jura.* Cum ergo missi non sint, diaboli apostoli sunt.

Secundo, indicatur eos blande et modeste venire. Non enim irruunt vi, neque evocant ad

se illos, quos pervertere volunt, sed ipsi ad eos veniunt. Quod sane præstant omnem movendo lapidem et adhibendo industriam. Nam et parvulos ad catechesin cogunt, imo et adultos ac maturos: neminem catholicum ad dignitatem aliquam promovent: blanditiis et promissis, favoribus et munusculis ad sectam suam alluciant. Exempla duo refert Balth. Chavassius, de notis fidei, l. IV. c. II. « Vix effluxerunt anni decem, inquit, ex quo, prope Treceas in Campania in cœtum coibatis, et nummariis munusculis ad vos pertrahebatis multas miserabiles personas, quas bellica vastitas bonis suis spoliaverat. Idemque paulo ante accidit Metis in Lotharingia nopi cuidam Murario, qui ex oppido S. Michaelis eo profectus præstolabatur artis suæ opificia, si quæ occurrerent. Cumque Calvinistæ cuidam, in quem inciderat, visus fuisset satis industrius, ab eoque florenum unum accepisset, cum onere sistendi se his terve concioni, mox se iturum eo simulavit, sed se proripiens lætus, ovansque Mussipontum cum floreno suo contendit, ubi proposita nobis questio est, utrum ille ad restitutionem teneretur. In eadem urbe (pergit auctor) circa id tempus nobili cuidam catholico cum eive hæretico lis erat, cujus decisio ad quosdam ejus farinæ judices pertinebat, quos cum nobilis ille ad dicendum sibi jus nulla posset ratione inducere, finxit velle se ad illorum partes transire. Ergo terque quaterque illorum emplum adit, admittitur fronte lætissima, assurgit a plurimis, percommode sedet, aures dat prædicanti, quem etiam abiens, eruditum sibi videri pronuntiat. Quid plura? Inclinantur animis in illum judices, et quo magis devinciatur, ferunt pro eo sententiam. Qua impetrata jam habeo, quod volo, inquit: Abite in malam crucem cum abortiva religione vestra. Nonne superioribus mensibus, quanta nunc est, tanta erat causæ meæ æquitas? » Huc revocari possunt, quam plures aliæ illecebræ, uti mollis ac libertina vitæ ratio, certa æternæ salutis promissio, plausibilem Scripturæ sententiarum inculcatio, terribilium vero remotio, compta et elegans dictio, librorum nitor, cantus mollis et varius, etc.

II. *Ad vos.* Hoc verbo indicat Dominus, hæreticos non contendere, ut paganos ad fidem perducant, nec tendere ad Mauros, Brasilios, Japones, Chineses, sed ad catholicos dumtaxat, ut evertant eos. Quod etiam S. Paulus, Act. XX. dixit ad suos: *Ego scio, quod post discessionem meam intrabunt lupi rapaces in vos.* In vos, inquit, non in ethnicos. Audiamus Tertullianum, l. I. de præser. hæret. *Hoc est, inquit, hæreticis negotium, non ethnicos convertendi, sed nostros revertendi.* Quamobrem S. Augustinus, l. III.

contra Faustum, cap. XII. comparat eos perdici-
cibus, quæ fovent ova aliena: « Hæretici, ait, instar perdicum congregant, quæ non pepererunt. Christianos enim, quos maxime Christi nomine seducunt, jam per ipsius Christi evangelium natos inveniunt, et faciunt illos divitias suas, non sanè cum judicio, sed cum temeritate inconsiderata. » Alludens ad locum Jer. XVII. Ratio est triplex, una ex parte Dei, qui non vult sponsas suas habere tales paranympnos, qui depravent eas, nec vult, ut diabolus diabolum pellat. Altera ex parte dæmonis: *Qui*, ut ait S. Gregor. in moral. *eos negligit, quos jure perpetuo se possidere sentit.* Parum recrearet dæmonem, fecisse ex gentili hæreticum, pro cognato accepisse affinem. Tertia ex parte hæreticorum, qui velut putridi vermes malunt caseo suo immori, quam ad herbas et arbores rodendas magno suo labore et periculo exire: Quamquam mollis et effeminata vita, quam in caseo suo ducunt, parum etiam valitura esset ad convertendas gentes, quæ magis vitæ sanctæ exemplis moventur quam doctrinis. Quare sicut vulpes illæ Samsonis, caudis colligatæ ignem sibi appensum non in silvas steriles, sed in segetes extulerunt easque vastaverunt, sicut cruce non in plateis, sed in hortis frugiferis inveniuntur, et sicut lupi caulas ovium silvis propinquas potius obeunt quam oppida et civitates; ita hæretici catholicos sibi propinquos evertere potius malunt, quam convertere gentiles, longe positos.

III. *In vestimentis ovium.* Sunt hæc primo Scripturarum sententiæ, quibus passim ornant et tegunt suam nequitiam et mendacia. Quid est vestitus ovium? inquit Vincent. Lirinensis, l. adversus hæreses: « Nisi prophetarum et apostolorum proloquia, quæ iidem ovili quadam sinceritate, Agno illi immaculato, qui tollit peccata mundi, tamquam vellera quædam detexerunt? Qui sunt lupi rapaces, nisi sensus hæreticorum feri et rabidi, qui caulas Ecclesiæ semper infestant, et gregem Christi, quantum possunt, dilacerant? Sed ut fallacius incautis ovibus obrepant, lupinam deponunt speciem, et sese divinæ legis sententiis velut quibusdam vellerebus obvolvunt, ut cum quisque lanarum mollitiem præsensierit, nequaquam aculeos dentium pertimescat. » Neque hoc mirum, aut novum. Induit se hoc legumento malus ille propheta, qui decepit prophetam bonum, dicens locutum sibi esse Dominum, III. Reg. XV. induerunt se quadringenti illi pseudoprophetae ad decipiendum Achab, III. Reg. XXVIII. induit se ipse dæmon, Matth. IV. quo circumveniret Christum. Denique S. Hilarius, l. II. ad Const. Aug. scribit: *Memento neminem hæreticorum esse qui se nunc non secundum Scripturas prædicare*

ea, quibus blasphematur, mentiatur. Certe hæretici nostri sæculi nihil magis clamant, quam Scripturam, Scripturam: verbum Domini manet in æternum; nihil fere loquuntur, quod non Scripturæ sententiis pingant; hinc vocari volunt evangelici, quasi soli ipsi evangelium vel intelligant, vel observent.

Secundo, sunt externa virtutis et pietatis species, quam præ se ferunt, aliqui saltem, uti Decretistæ olim, qui omnium peccatorum fugiebant societatem, nostro sæculo Anabaptistæ, qui velut cælo lapsi miram quamdam modestiam in sermone, vestitu, victu, incessu ostendunt; patientes sunt injuriarum; linguam moderantur, interim lupum in sinu gerunt. Alii, ut Lutherani, crebri sunt in laudanda bona conscientia, in suspiriis ob prostratam religionem et regnantem idololatriam, in moribus ad gravitatem compositis, etc. pleni interim sunt dolo et iniquitate.

Tertio, sunt inanes quidam prætextus ad venenum instillandum incautis. Prætexunt imprimis sanctum quoddam Ecclesiæ reformandæ studium ob nescio quos abusos in eam introductos, cum tamen ab Ecclesiâ prorsus se subdlexerint, et religionem catholicæ Ecclesiæ penitus sustulerint; quod profecto non est reformare: deinde prætexunt cultum Deo debitum, et crucis sacrificium ad eliminandum cultum sanctorum et missæ sacrificium, quasi hæc simul stare nequeant: prætexunt libertatem christianam, ad tollendas leges, et introducendam carnis libertatem.

IV. *Intrinsicus autem sunt lupi rapaces.* Ecce tibi geminam hæreticorum descriptionem sub imagine luporum; quam explicat D. Ambrosius l. VII. in c. X. Luc. « Lupi, inquit, bestię sunt, qui insidiantur ovilibus, circa pastores versantur casas: habitacula domorum intrare non audent: somnum canum, absentiam aut desiderium pastoris explorant: ovium guttur invadunt, ut cito strangulent: feri, rapaces, iidemque natura corporis rigidiores, ut se facile non possint inflectere: impetu quodam suo feruntur, et ideo sæpe luduntur: si quem priores hominem viderint, vocem ei quadam naturæ feruntur vi eripere: si autem homo prius eos viderit, exagitari memorantur. » Tum hæc applicans, ait primo: « Nonne lupis istis hæretici comparandi sunt, qui insidiantur ovibus Christi, fremunt circa caulas nocturno magis tempore quam diurno? » Sane ita est. Patuit in Calvinistis, qui in Gallia; Lutheranis, qui in Germania et vicinis terris, primum angulos quæsierunt, uti horrea, cellas, vinarias, superas ædium contignationes, ac fere noctu, ad disseminandum evangelium suum, vocante fra-

tres non campana, sed scelopeto licet inserto. Narrat Genebrardus anno 1336. Parisiis in privata domo summo mane deprehensus aliquando centum viginti Calvinianos utriusque sexus, qui eo convenerant ad communicanda dogmata sua. Dicunt isti: « Venite discite fidem veram nuper revelatam, sed discite furtim atque secretim; delectabit enim vos, et cum didiceritis, latenter docete, ne mundus audiat, neque Ecclesia sciat; paucis namque concessum est tanti mysterii capere secreta, » ut scribit Vinc. Lirin. Recte igitur dixerit aliquis eos lupos esse vesperinos, quales describit Habacuc, c. 1. Non ita Christus, qui palam docuit: non ita S. Paulus, qui II. Tim. II. scribit: *Quæ audisti a me per multos testes hæc commenda fidelibus.*

Secundo: *Versantur circa caulas, stabula tamen Christi intrare non audent,* inquit Ambr. Vel enim metuunt pelli suæ, ne in carceres vel inquisitiones trahantur si in alienas urbes vel nationes invehere velint dogmata sua, vel ob unionem et concordiam catholicorum desperant de fructu: extra caulam vagantes et divisos præstolantur ut dilanient. Jeroboam rex cum religionem in Israel subito mutare non auderet, adeoque totum populum simul evertere, metu seditionis et rebellionis, occulte quosdam submitit, qui populum excitarent ut a rege peteret Deum domesticum, vitulum scilicet quem coluerant in Ægypto, idque factum libentibus illis, ut notat S. Hieronymus ex Hebræorum traditione, Cyrillo ad cap. VII. Oseæ. Simili astu Elisabetha hæretica Angliæ regina, succedens Mariæ sorori in regno, fidem catholicam in Angliâ a Maria restitutam, primo anno subvertit, constituens magistratus hæreticos, qui in parlamento heresin restitui peterent, imo decernerent; teste Sanderò, de schism. Angl.

Tertio: « Explorant pastorem absentiam, et ideo pastores Ecclesiarum vel necare vel in exilium agere contendunt: quia præsentibus pastoribus oves Christi incursare non possunt. » Nimirum sicut olim Philippus Macedonum rex obsidens Athenas petiit sibi tradi decem oratores, qui illorum remp. perturbarent, recessurus eo facto ab obsidione. Cui tamen respondit Demosthenes simili astu lupos aliquando petiisse a pastoribus, ut sibi traderentur canes eorum, quod hi essent causa totius inimicitie inter oves et lupos, fore se tum amicos, traditis autem canibus lupos impune et pro libitu in gregem esse grassatos dormientibus pastoribus. Idem machinantur hæretici ideo illorum existimationi et auctoritati derogant, crimina in eos confingunt, accusant eos et e medio tollere conantur. Sic olim Amasias pontifex idolorum detulit Amos prophetam (qui ab idolis et Ama-

sia populum abstrahebat) velut seditiosum, et regni perturbatorem ad Jeroboamum, dicens: *Rebellavit contra te Amos in medio domus Israel, Amos, c. VII.*

Quarto: *Mentis intentione duri ac rigidi nequam solent a suo errore deflectere.* Habent hoc sibi proprium hæretici quod sint contumaces; quo vel solo dempto hæretici, non forent. Nesciunt ergo flectere caput sub obedientiam Ecclesiæ; similes Dathan et Abiron, qui vocati a Moysæ principe suo, responderunt superbissime: *Non venimus, illuserunt insuper ei ironice: Revera induxisti nos in terram, quæ fuit rivis lactis et mellis, etc.* Num. XVI. Nihil aliud retinet hæreticos, ne veniant ad Ecclesiam se vocantem, nisi propria voluntas. Convinci de errore, et ad silentium compelli possunt invictis ratiocinationibus, persuaderi non possunt: unde S. Augustinus ait: *Cum verum dicitur, cui resistere non possunt, rodunt murmura salebriosa: Sic volumus.* Vox hæc trita Luthero fuit. (Cum enim convictus esset de impostura in ss. litteras commissa, respondit: *Sic volo, sic jubeo*). Recte in eos quadrat quod dicitur c. XI. Job: *Vir vanus in superbiam erigitur, et tanquam pulum onagri se liberum natum putat.* Onager libertate gaudet capi et subjugari detrectat. Quis ergo non dicat hæreticos esse asinos silvestres.

Quinto: « Si quem versuta mentis suæ circumscriptione prævenerint, faciunt obmutescere, si autem commenta impietatis ejus agnoveneris jactaram piæ vocis timere non poteris. Quare rudi imprimis plebeculæ, quæ illorum fraudes nescit, facile imponunt, suisque verborum enociniis et Scripturarum agglomerationibus silentium imponunt, at non eruditus, qui figmenta ipsorum agnoscunt. Sirenes sunt, quæ juxta poetarum fictionem dulci suo tibiæ et yræ cantu navigantes ad suas insulas, in quibus habitabant, alliciebant, atque in naufragia deducebant, juxta rei veritatem vero meretrices erant, quæ formæ et vocis blandimento prætereuntes ad sui amorem illiciebant, eoque illaqueatos bonis suis exuebant et quandoque vita spoliabant. Testem adduco S. Hieronymum in Michæam, c. I. qui cantum Sirenium ibi adductum (juxta Septuag. interpr. ubi noster habet, luctum struthionum) exponit hæreticorum lenocinia. « Dulcia enim sunt, inquit, hæreticorum carmina, et dulci voce populum decipientia: nec potest eorum cantica præterire, nisi qui obturaverit aurem suam, et quasi surdus evaserit, » alludens ad Ulysem, qui Sirenes præternavigans, aures cera obturavit, ne illarum cantu alliceretur. Maxime vero occupant mutumque reddunt hominem hæretici quando eum primi sua hæresi imbuerunt ac deprava-

runt. Docet enim experientia eos qui a puero in hæresi instituti sunt, vix unquam serio converti ad catholicam fidem, tametsi a catholicis doctoribus audiant videantque innumera fidei veræ argumenta. Nimirum prius a lupo visi sunt.

Sexto: « Animam petunt, guttur invadunt, vitalibus vulnus affigunt. Graves sunt morsus hæreticorum, qui ipsis graviores et rapaciores bestiis, nullum avaritiæ finem impietatisque noverunt, » inquit Ambrosius. Quod quam verum sit demonstraverunt olim Ariani, de quibus S. Athanasius, in ep. ad solit. vitam agentes, ait: *Nova ista et execrabilis hæresis, quos non potuit verbis inducere, eos vi, plagis carceribusque ad se pertrahere annititur atque ita vel seipsum quam non sit pia et Dei cultrix, manifestat.* Demonstrarunt elapso sæculo Lutherani in Helvetia, Zwingliani in Belgio, Anglia, Gallia Calvinistæ, qui sane jugulum catholicorum petierunt, quando tot strages ac cædes ediderunt in eos, qui in ipsorum religionem jurare noluerunt, anno 1562. Lutetiæ Parisiorum turmatim per vias cursitabant bacchantes, et una quidem manu biblia, sed altera districtum gladium vibrantes clamantesque: *Vivat evangelium.* Sed quid longe ab eo? Quis explicare queat, quibus cædibus et tormentis debacchentur hodie hæretici in catholicos Germanos! Sane: *Æstimati sumus sicut oves occisionis; undique maclamur et in exilia pellimur.*

Septimo: *Vestimentum ovis habent, factæ prædonis: foris ovis intus lupus est. Nonne vobis videtur lupus, qui humanæ necis insaturabili crudelitate, fidelium morte populorum rabiem suam explere desiderat?* Vidimus jam supra pellem ovinam in hæreticis, sed et lupinam crudelitatem.

Octavo: *Ululat iste non tractat, qui negat vocis auctorem et sacrilego sermone bestiati murmur interstrepit, etc.* hucusque Ambros. Quis porro hæreticorum ululatus, nisi insania stolidi eorum doctrina? Nisi profana vaniloqua, quæ vitanda monet apostolus, II. Tim. II. nisi figmenta eorumdem: « Dum unusquisque fingit, (inquit S. Hieron. in Amos, c. III.) quod voluerit et adorat figmentum suum, et Marcion bonum Deum et otiosum, ut Valentinus triginta et extremum Christum, quem appellat, id est, abortivum: ut Basilides qui omnipotentem Deum portentoso nomine appellat et eundem secundum Græcas litteras et annui cursus numerum dicit in solis circulo contineri? » Addere his possumus, specialem illam et novam Lutheranorum fiduciam aliaque absurdo et inaudita illorum figmenta. Quibus recte possumus dicere quod August. I. III. contra Julianum, c. III. dixit Pelagianis: *Mira*

sunt, quæ dicitis, o Pelagiani, nova sunt quæ dicitis, falsa sunt quæ dicitis. Mira stupemus, nova cavemus, falsa convincimus. Denique, ululatus hæreticorum, mendacia eorumdem, execrationes et blasphemias sunt. « Si quis lupum cooperiat pelle ovina, inquit auctor. op. imperfect. hom. IX. quomodo cognoscit illum nisi aut per vocem aut per actum? Ovis inclinata deorsum balat, lupus in aere convertit caput suum contra cælum et sic ululat. Qui ergo secundum Deum vocem confessionis et humilitatis emittit, ovis est; qui vero adversus veritatem blasphemias ululat contra Deum, lupus est. » Nimis manifeste deprehendimus hunc ululatum in hæreticorum libris.

V. *Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?* Ergo hæretici præterea spinæ sunt et tribuli. Primo, quia undique vulnerant, sive audiantur eorum conciones, sive legantur eorum libri, sive admittantur ad familiarem conversationem, maxime vero si quis vel in minimo puncto consentiat eorum hæresi. Notanda in hoc casu et imitanda vox heroica S. Martini papæ, qui Constanti imperatori nepoti Heraclii, Monothelithæ, petenti ut novæ suæ credendi formulæ pontifex subscriberet, captus ab eodem, respondit: *Potius sinam me discerpi in mille partes, quam ut tuæ hæresi vel in puncto subscribam, dixit et fecit; nam in Chersonam re-legatus frigore, fame et pedore consumptus gloriosum obiit martyrium, ita acta ejus, apud Baron. anno 149.*

Secundo, quia voluptatibus dediti; scimus enim spinas, in quibus suffocatum est semen, a Christo exponi divitias et voluptates. Quam vero his spinis immersi sint hæretici testatur imprimis S. Petrus, qui, ep. II. c. II. de iis scribit: *voluptatem existimantes dei delicias, etc. oculos habentes plenos adulterii et incessabilis delicti.* Deinde S. Judas, in ep. sua: *Hi sunt in epulis suis maculæ convivantes sine timore, semetipsos pascentes.* Jam, ut antiquos hæreticos prætereamus, constat Lutherum Epicuri vitam duxisse, et totos dies in comotationibus et conviviis exegisse. Anabaptistæ et Adamitæ, Lutheri soboles, quam projecti in luxuriam fuere? Lutherus ipse (uti refert Aurifer, ejus discipulus, in coll. mens. p. CCXLIV.) asseruit scholæ suæ discipulos magna ex parte Epicureos esse, metiri conciones ex suo cerebro, et hoc solum quærere, ut bonos dies habeant: in papatu talia nebulozum portenta non inveniri, etc. De libidine quid dicam? Scribit is, Rom. V. serm. Witemberg. fol. CXIX. « Quam non est in meis viribus situm, ut vir sim, tam non est mei juris, ut absque muliere sim: et femina sociari, tam est necessarium quam edere et bibere. » Aliorum ejus

similium asotias et libidines alii depingunt. Ad hæc mulieres fere adjutrices in propaganda hæresi assumpsere sibi hæretici, ut notat D. Hieronymus, ep. ad Ctesiphontem tom. II. « Simon magus, inquit, hæresin condidit adjutus auxilio Helenæ meretricis: Nicolaus Antiochenus, omnium immunditiarum conditarum conditor, choros duxit femineos: Marcion quoque Romam præmisit mulierem ad majorem lasciviam: Appelles Philomenem comitem habuit: Montanus Priscam et Maximillam primum auro corruptit, deinde hæresi polluit: Arius, ut orbem deciperet sororem principis ante decepit: Donatus Lucilla opibus adjutus est: Elpidium cæcum Agape cæca duxit: Priscilliano juncta fuit Galla, non gente sed nomine. »

Tertio, quia fere dæmones habent assessores et paredros, quemadmodum sub spinis fere habitant serpentes. Testatur apostolus, I. Tim. IV. novissimis temporibus discessuros quosdam a fide, et attenturos spiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum. Quo loco S. Chrysostomus, hom. XII. asserit, omnem hæresin esse ex diabolo. Audiamus testimonia. Cassianus, collat. VII. c. III. *Audivimus, inquit, apertissime confitentem se inspirasse hæresin Arii et Eunonii;* S. Irenæus, I. I. c. IX. et I. II. c. LVII. scribit Simonem magum et alios hæresiarchas habuisse dæmones sibi familiares: Fulbertus Carnotensis episcopus prope Berengarium hæreticum vidisse se adstantem dæmonem multosque ad eum sequendum manu et anheliu corrupentem, testatus est, apud Baron. anno 1028. Maximilianus I. imperator Augustæ prandens, videre se dæmonem humeris Lutheri insidentem, asseruit, Baron. de Erbac. anno 1518. nec diffitetur ipse Lutherus dæmonis colloquio se familiariter usum, plusque salis modium cum eo comedis: Zwinglius quoque intempesta nocte spiritum monitorem sibi adfuisse ait, ad evertenda verba consecrationis, nescire tamen se ater an albus fuerit.

Quarto, quia ipsorum doctrina carnalibus tantum et stolidis hominibus, non piis et prudentibus, accepta est, quemadmodum tribuli non hominum; sed asinorum esca sunt. Nota est historia Crassi, qui nunquam risisse fertur, nisi cum aliquando vidit asinum tribulos edentem, dicens: *Similes habent labra lactucas* igitur qui capiuntur et pascuntur dogmatibus hæreticorum, asini fere sunt, stupidi et carnales. Sane D. Augustinus, I. d. vera relig. c. IV. ait: *Ex his omnibus hæretici fiunt, qui etiamsi essent in Ecclesia, nihilominus errarent.* Similes igitur habent labra lactucas, cum stulti et Epicurei stultam et Epicuream amplectantur religionem.